



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies octavus et nonus continentur

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1865 [erschienen] 1866

Prætermissi Et In Alios Dies Relati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72229](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72229)

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES RELATI.

Sancti Juventinus seu Jubentinus et Maximus martyres hodie a Ferrario in Catalogo generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, annunciantur. Idem etiam a Galesinio in Martyrologio, per eum concinnato, fit. Verum de binis illis sanctis Martyribus, sub Juliano Apostata passis, cum Martyrologio Romano pluribusque aliis fastis sacris jam egimus ad diem
xxv Januarii.

S. Rodosindi episcopi, qui a nonnullis Rudesindus aut etiam paulo aliter vocatur, Canonizationem hodie in Fastis sacris, quos Ordinis sui Sanctis celebrandis adornarunt, commemorant Benedictini hagiologi Dorgainus, Menardus, Wisnus, et Bucelinus, illumque, qui in generali Sanctorum, Martyrologio Romano non inscriptorum, Catalogo sancti illius Antistitis Canonizationem hodie pariter consignat, idem etiam facit; meritone, an immerito, colliges ex his, quæ dicta apud nos sunt ad diem, quo de sancto illo Dumiensi episcopo jam actum,
i Martii.

S. Abrahæ eremitæ natalis, addito protitico elogio, hodie occurrit in Florario nostro Ms.; verum de Sancto illo cum Martyrologio Romano jam egimus ad diem
xvi Martii.

S. Mathillam in Menologio Scotico hodie signal Camerarius, Cum addat, Induit sanctam Brigiddam, dubitandum non videtur, quin designet S. Macalleum episcopum, a quo S. Brigida virgo Scotica, ad i Februarii diem apud nos jam data, velum accepit; verum de sancto isthoc antistite, qui, quemadmodum Operis nostri tomo I Februarii, pag. 136 est videre, Machilla etiam appellatus invenitur, actum apud nos jam est ad diem, quo in Ms. monasterii Tam-lactensis Martyrologio, itemque in Casselensi Kalendario et in Festilio Maguiriano celebratur,
xxv Aprilis.

S. Richarii confessoris translationem Grevenus ac varia Usuardina apud Sollerium Auctaria hodie commemorant. De S. Richario, Centulensi in Gallia abbate, sermonem esse, ex occurrentibus ac inter Centulensi et Ambianensi Auctariis intelligitur. Pro translatione natalem signal Auctarium Altempsianum; verum hic in Martyrologio Romano pluribusque aliis Fastis sacris memoratur ad diem, quo proinde de sancto illo abbate ejusdemque translatione actum apud nos jam est,
xxvi Aprilis.

S. Jacobus Alphæi hodie in Magnis Græcorum Menæis excusis celebratur, uti etiam in pluribus aliis Fastis sacris, quemadmodum in Opere nostro videre licet ad diem, quo de illo jam egimus,
i Maii.

In civitate Vienna multorum Martyrum hodie legitur in sola adjuncta Adonis Martyrologio Appendice, Viennam Allobrogum, non Austriæ, designari existimo. Verum quorum memoratur martyrum manipulus? Lugdunensi-umne, qui Antonino Vero Romani imperii habenas tenente, anno 177 Lugduni Segusianorum passi sunt, quique, quod Vienna Lugdunum ad martyrium ducti fuerint Viennæque

etiam veneratione singulari quotannis hodie colantur, cultive olim fuerint, in civitate isthac ab Appendicis laudatæ auctore ponuntur? Quod si res, quam nobis elucidari, fuerit gratissimum, ita fortassis habeat, adeundum est Opus nostrum ad diem, quo de sanctis illis quadraginta octo celeberrimis Martyribus, Photino nempe episcopo ac sociis quadraginta septem jam actum,
2 Junii.

S. Dorotheus Tyri episcopus hodie a Galesinio et Castellano celebratur, uti etiam a Græcis in Menologio Sirletiano et Menæis excusis; verum de Sancto illo actum apud nos jam est ad diem
v Junii.

S. Afræ martyris natalem Hieronymiana apud Florentinum apographa, quibus etiam Florarium nostrum Ms. consonat, In provincia Creta, civitate Augusta, hodie annuntiant; verum eam hodie pariter, In provincia Rhetha civitate Augusta, Adonis apud Rosveydum Appendix emendatius consignat, uti in Opere nostro videre est ad diem, quo de sancta illa Martyre, Augustæ Vindellicorum passa Romanoque Martyrologio tum inscripta, jam egimus,
v Augusti.

S. Austregildem, S. Lupi matrem, Castellanus aliique hodie annuntiant; verum de sancta illa ac illustri Matrona in Opere nostro actum jam est ad diem, quo sancti ejus filii Acta illustravimus,
i Septembris.

S. Diodori natalem Laodicæ in Phrygia hodie signant Hieronymiana apud Florentinum Apographa. Sancti ejusdem Martyris, qui in uno ex hisce, Corbeiensi videlicet, Theodulus haud parca nominis mutatione vocatur, adjecta ad Adonis Martyrologium Appendix hodie quoque meminit, uti etiam in Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, Catalogo generali Ferrarius, in suis præterea, quas huic subjungit, Annotationibus Tabulas Græcorum citans, atque ab hisce in Menologio de Diodoro agi, affirmans. Verum in nullis prorsus Græcorum prelo hactenus vulgatis atque a me visis seu tabulis seu Menologiis Diodorus ad hunc diem commemoratur. Quare oportet, ut Ferrarius vel de tabulis dumtaxat Mss., Menologioque item dumtaxat Ms. loquatur, vel ut in memorato a se Menologio, non hodie, sed alio die a Græcis de S. Diodoro agi velit. S. Diodorus martyr cum adjuncto sibi socio S. Didymo, pariter martyre, ad undecimam aut præcedentem Septembris diem in pluribus Græcorum fastis sacris celebratur. Ac ad posteriorem quidem e binis illis Septembris diebus in Menologio Sirletiano, Menæisque nostris Mss., e Bibliothecæ Ambrosianæ codice V. n. 393 excerptis, id fit; ad priorem autem in Menologio Basiliano magnisque Græcorum Menæis excusis. Adhæc in Menæis nostris Mss. aliis, quæ ex altero Bibliothecæ Ambrosianæ codice, signato F. N. n. 103, desumpta notantur, hodie quoque S. Diodorus martyr cum adjuncto sibi martyri Didymo commemoratur. Quid si ergo Ferrarius ultima hæc similitate Menæa Mss. per Græcorum tabulas, loco supra cit. a se laudatas,

- A** laudatas, intellexerit, atque ad alterutrum e dictis Septembris diebus, dum de Diodoro a Græcis in Menologio agi, ibidem asseruit, respexerit? Ut ut sit, Diodorum equidem et Didymum, in Mss. bibliothecæ Ambrosianæ Menæis proximè laudatis hodie commemoratos, a Diodoro et Didymo, qui ad undecimam aut præcedentem Septembris diem in supra dictis Græcorum Menologiis Menæisque excusis celebrantur, distinctos seu diversos non esse, existimo. Etenim tam in elogio, quo illi hodie, quam in elogio, quo hi ad alterutrum e dictis Septembris diebus ibidem eorundem, una eademque martyrii palæstra assignatur Laodicea, hoc solo parvi momenti interveniente discrimine, quod in hodierno elogio, contra ac in alio fit, nulla apponatur nota, qua Laodicea, SS. Diodori ac Didymi palæstra, a civitatibus homonymis distinguatur. Adhæc Diodorus et Didymus, tam qui hodie, quam qui ad præfatos binos Septembris dies in laudatis Græcorum fastis celebrantur, eadem omnino phrasi Græca ad ultimum usque spiritum, dum martyrio coronarentur, Deo gratias egisse in egiis, sibi adornatis, asseruntur, nec quidquam in hisce occurrit, quod Diodorum ac Didymum, in Mss. bibliothecæ Ambrosianæ Menæis hodie signalos, a Diodoro et Didymo, qui in fastis Græcorum aliis supra laudatis Septembris affiguntur, distinguere compellat. Nullam quidem hi ignis, quo Diodorus ac Didymus tandem excusis in Menæis Ambrosianis hodie narrantur, mentionem institunt; verum Diodorum ac Didymum, quos memorant, exspirasse, aiunt, in tormentis; quæ inter cum esse potuerit ignis incendium, cum dictis Ambrosianis Menæis haud pugnant. Accedit, in sacris Græcorum Fastis unum eundemque Sanctum, qui ad diversos dies recurrit, egiis subinde, non parum invicem discrepantibus, condecorari. S. Pelagia, virgo martyri Antiochena, quæ ad ix Junii diem in Magnis Græcorum Menæis excusis celebratur, sequæ ipsam ne libidini corpus exponens pudicitiam perderet peccatoque consentiret, occidisse, in elogio, illi adornato, narratur, ad viii Octobris diem in iisdem Menæis recurrit, nullaque prorsus violentiæ, qua occubuit, necis mentione in elogio facta, fundens ad Deum preces, ne militibus traderetur, immaculatum Creatori suo spiritum tradidisse asseritur. Atque ita quidem, Diodorum martyrem, qui in Menæis Mss., e bibliothecæ Ambrosianæ codice supra laudato excerptis, hodie cum Didymo recolitur, a Diodoro martyre, qui ad undecimam aut præcedentem Septembris diem in pluribus aliis Græcorum Fastis sacris supra recensitis cum Didymo etiam celebratur, distinctum seu diversum non esse, indubitatum ex omnibus jam dictis apparet; verum an hodiernus ille Diodorus, ac proin ob jam adducta etiam hic, qui Septembris illigatus est, a Diodoro, ad hunc diem, ut jam supra docui, Hieronymianis apud Florentinum apographis, adjectæque ad Adonis Martyrologium Appendici inscripto, diversus seu distinctus pariter non est? Ita equidem mihi verosimilius apparet: etenim et Diodorus, qui in binis hisce Fastis sacris existat, et Diodorus, qui in Mss. bibliothecæ Ambrosianæ Menæis, proximè iterum memoratis, occurrit, ad unum eundem Octobris Tomus IV.
- que hodiernum diem celebratur, nec aliud quidquam alicunde se offert, quod alterum ab altero certo distinguendum, suadere sit natum. Diodorus quidem, Hieronymianis apographis Adonianæque Appendici hodie insertus, solus ibidem absque ullo socio comparet; Diodorus autem, in Menæis Ambrosianis hodie memoratus, cum Didymo, socio martyre, conjungitur: verum, cum Diodorus, ubicumque cum Didymo in Fastis sacris supra laudatis memoratur, primo loco recenseatur, fuerit fortassis aut dignitate aut nominis saltem celebritate Didymo præstantior. Atque hinc factum esse potest, ut, qui Martyrologium, sub S. Hieronymi nomine circumferri solitum, concinnavit, Diodorum dumtaxat, non autem etiam Didymum, cognitum habuerit, huncque idcirco cum illo haud amittit. Accedit, non raro evenire, ut Sancti, qui in uno alterove aut etiam pluribus hagiologiis cum sociis sibi adjunctis celebrantur, soli etiam absque sociis in aliis signentur. Ut e plurimis, quibus res hæc confirmari posset, exemplis unum saltem adducam in medium, S. Dionysius, patriarcha Alexandrinus, tertia Octobris die cum adjunctis sibi sociis Fausto, Caio, Petro et Paulo in Menologio Sirlletiano, aliisque nonnullis Fastis sacris, uti Operis nostri tom. 2 Octobris pag. 9 videre licet, celebratur; in Martyrologio autem Romano hodierno, uti et in Romano Parvo seu Veteri solus absque sociis ad xvii Novembris diem recolitur. Ex eo itaque, quod Diodorus, Hieronymianis apographis Adonianæque Appendici hodie inscriptus, solus ibidem absque ullo sibi socio adjuncto compareat, consecrarium neutiquam est, ut is a Diodoro, qui hodie in Menæis Ambrosianis cum Didymo conjungitur, sit diversus. Nec id etiam certo consequitur ex eo, quod Diodorus, Hieronymianis apographis hodie insertus, diserte in hisce Laodiceæ, quæ in Phrygia sita est, signetur; Diodorus autem, in Menæis Ambrosianis Mss. hodie relatus, qui cum Diodoro, ad undecimam aut præcedentem Septembris diem Menæis excusis, Menologio Sirlletiano aliisque pluribus Græcorum Fastis sacris inscripto, unus idemque ex supra dictis est, expresse in hisce Laodiceæ, quæ in Syria sita est, attribuitur. Quid si enim, qui primus in Fastis Græcorum sacros Diodorum intulit, cum sanctum hunc Martyrem Laodiceæ absque addito, civitatem Laodiceam, quæ significaretur, determinante, martyrio coronatum fuisse, comperisset, idcirco eum Laodiceæ Syriæ, quod hanc præ reliquis civitatibus homonymis nosceret, collocavit, itaque aberrantem posteriores deinde Græcorum hagiologi sint secuti? Sane, quod id minus appareat incredibile, faciunt Mss. bibliothecæ Ambrosianæ Menæa, supra jam sæpius laudata, in quibus ad hunc diem Diodorus Laodiceæ passus signatur, nulla omnino nota adjecta, e qua, Syriæ, an Phrygiæ Laodicea designetur, intelligas. Ut ut sit, cum equidem facile seu in Hieronymianis apographis seu in sacris Græcorum Fastis, utpote et his et illis loco non uno existentibus mendosis, quantum ad regionem, cui Laodiceam, Diodori palæstram, adscribunt, erratum esse queat, enimvero ob regionis, in qua hanc locant, diversitatem Diodorum, Hiero-

- A *nymianis apographis hodie insertum, a Diodoro, Menæis Ambrosianis hodie pariter inserti ac proin ob dicta a Diodoro, ad undecimam aut præcedentem Septembris diem in pluribus Græcorum Fastis sacris celebrato, certo esse diversum, pronuntiare non ausim, maxime cum nihil etiam sat solidi, quo ad hoc faciendum inducar, aliunde hactenus occurrat. Donec itaque hoc fiat, de Diodoro Hieronymiano in Opere nostro separatim agendum non reor, lectoremque proinde tam pro eo, quam pro Diodoro, Menæis Ambrosianis hodie inscripto, remitto ad diem, quo de Didymo simul, ac Diodoro, a Diodoro Ambrosiano ex dictis haud distincto, apud nos jam actum,*
 XI Septembris.
- S. Gerulphi martyris adventus seu reliquiarum e pago Merendra Trunchinium prope Gandavum translatio hodie recurrit in Additionibus Mss. Cartusie Bruwellensis ad Usuardum Greveni, Verum de illa aliisque, ad eundem sanctum Martyrem spectantibus, apud nos jam actum
 XXI Septembris.
- B S. Matthæi Evangelistæ et Apostoli memoria hodie occurrit in Calendario Æthiopico et Coptico apud Jobum Ludolfum; verum de Sancto illo cum Martyrologio Romano jam egimus ad diem
 XXI Septembris.
- S. Michaël archangelus apud Jobum Ludolfum in Calendario Æthiopico et Coptico hodie signatur; verum de illo, aliisque simul angelis actum apud nos jam est ad diem
 XXXIX Septembris.
- S. Libariam virginem martyrem hoc die habet Ms., quod Sororum Regularium lacus S. Mariæ juxta Leydam olim fuit, Martyrologium; verum de hac sancta virgine ac martyre jam egimus ad diem, quo in nonnullis Fastis sacris caccusis, nostroque etiam Florario Ms. celebratur,
 VIII Octobris.
- S. Petri martyris in civitate Hispali hodie legitur in Hagenoyensi Usuardi apud Sollerium Auctario; verum de eo actum jam est ad diem
 VIII Octobris.
- Alelmum, qui ex monacho Beccensi in Normannia secundus abbas Aquicinctinus in Belhio exstiterit, in Martyrologio Benedictino Menardus hodie commemorat. Ac illum quidem, quem anno 1088 obiisse, lib. 2 Observationum affirmat, miraculis post obitum claruisse, ibidem etiam scribit; verum de cultu silet, non secus ac Raissius ad quintum, quo Alelmum recollit, Septembris diem facit.
- C Alphani, Salernitani archiepiscopi memoriam hac die, qua anno 1085 obiisse narratur, Castellanus in Martyrologio suo universali Salerni consignat. Cum addat, scriptis eum non minus, quam pietate solida celebrem esse, manifestum fit, a martyrologo isto sermonem institui, non de Alphano secundo, sed de primo, nominis hujus Salernitano archiepiscopo, quem plura edidisse ingenii sui monumenta, Petrus diaconus lib. de viris comobii Cassinensis illustribus testatur. Porro Alphanum hunc Sancti etiam titulo Ughellus tom. 1 Italiae sacre in Archiepiscopis Salernitanis eornat, relatumque ferri inter Sanctos, affirmat. Verum, præterquam quod eum dumtaxat Venerabilem Castellanus appellat, nihil omnino, quod cultum illius ecclesiasticum utcumque prodatur, vel in ecclesie Salernitanæ, quæ penes nos exstant, Officiis propriis, vel in monumentis aliis, quæ D quidem videre obtigit, occurrit.
- Bonnolus episcopus Metensis apud Saussayum in Martyrologio Gallicano hodie occurrit, uti etiam apud Ferrarium in Catalogo generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt. Cital quidem hic in Annotatis suis posterior hic hagiologus ecclesie Metensis Tabulas ac Kalendaria; verum, num ex his de Bonnoli seu, ut ab aliis vocatur, Donnoli cultu constet, non edicit; cum autem nec Martyrologium Parisiense, anno 1727 excusum, nec in Martyrologio suo Universali Castellanus, Sanctos omnes, qui in Galliis uspiam coluntur, diligentissime alioquin recensere solitus, Bonnoli seu Donnoli meminerit, hunc ego Metensem episcopum Operi nostro inter Sanctos non prius intexam, quam de publico ac legitimo ejus cultu, de quo mihi hactenus non constat, apprime fuero edoctus.
- Catullæ matronæ res gestas a die xxxi Martii, quæ ea a Greveno in Molani Auctario aliisque aliquot recentioribus hagiologis memoratur, Majores nostri huc remisere discutendas una cum Actis S. Dionysii: ac infra quidem in Commentario de hoc Sancto res gestas, quæ Catullæ attribuantur, discutimus; verum cum matrona isthæc ex Hilduini sublestæ fidei Areopagiticis similisve farinæ scriptis primitus videatur deprompta, cultuque ecclesiastico destituta a nullis etiam Martyrologis classicis seu antiquis recenseatur, Operi nostro inter Sanctos intexcenda non est, etsi interim, quæ in Dionysii sociorumque martyrum gratiam gessisse narratur, re etiam vera gessisset.
- SS. Dionysius archidiaconus Remensis et Socii ejus hodie signantur in Usuardo Greveni. In Florario nostro Ms., in quo præterea Martyrum titulo condecorantur, idem etiam fit. Verum quis Dionysius ille, cui etiam Socii martyres adduntur? In Breviario Remensi, penes nos exstanti, quod anno 1630 notatur excusum, quodque S. Dionysium Areopagitam cum S. Dionysio Parisiensi, episcopo martyre, confundit, non alius hodie Dionysius, quam hic posterior, colendus proponitur. Adhæc Dionysius, Remensis archidiaconus, qui cum Sociis mortem pro Christo aliquando oppetieret, nec ex Remensis, nec ex aliarum quarumcumque ecclesiarum seu libris ecclesiasticis seu monumentis aliis innotescit. Existimo itaque, Dionysium, qui in binis Fastis sacris supra laudatis hodie memoratur, perperam in hisce archidiaconi Remensis titulo insigniri, perperamque item, veluti a Dionysio Parisiensi, hodie cum Sociis Martyribus apud nos dando, diversum proponi, adhibitis etiam duabus annuntiationibus diversis, quarum altera hic, altera ille commemoratur.
- Elizabetham de Wans, sanctimoniam Aquariensem, cum Beatæ titulo simul et elogio sat prolizo Raissius in suo ad Molani natales Sanctorum Belgii Auctario hodie consignat, hueque illam a die 1 Julii, quo a pluribus hagiologis laudatur, majores nostri, quod cultum ejus ecclesiasticum publicum probare non possent, remisissent. Futurum scilicet putarunt, ut aliquid fortassis, quo de illa simul et de Sybilla de Gagis infra memoranda hodie agi posset, temporis lapsu suggereretur; verum, cum id hactenus factum non sit, Elisabethæ non magis quam

A *quam Sybillæ, locus inter Sanctos in Opere nostro debetur.*

Gerardum, *monasterii Novæ-vallis in Suecia abbatem, in Menologio Cisterciensi hodie commemorat Chrysostomus Henriquez, uti etiam in Ordinis Cisterciensis Sanctorum, Beatorum ac Servorum Dei Catalogo Sigismundus Alberti, in Sanctorum, Beatorum et illustrium virorum Ordinis Cisterciensis Serie Chalemotus, ac denique in Ordinis Cisterciensis Beatorum ac Venerabilium Elencho, Originum Monasticarum lib. 5, cap. 15 inserto, Aubertus Miræus. Atque hi quidem hagiologi, quorum duo priores Gerardum Novæ-vallis, hanc sat tamen fundate, uti ex Manrique, ubi hic de illustri illo Ordinis sui viro, fas est colligere, fundatorem etiam faciunt, unanimi consensu omnes Gerardum illum, Trajecti ad Mosam natum, annoque circiter 1190, ut Manrique notat, in Clara-Valle vita functum, Beati etiam titulo condecorant; verum nihil omnino afferunt, quod cultum ejus ecclesiasticum utcumque probet.*

B S. Ghislerius confessor in Martyrologio Belini, et ea hoc, ut videtur, acceptus in posterioribus, quæ anno 1573 et anno 1588 prodierunt, Usuardini per Molanum Martyrologii editionibus hodie occurrit; verum is Sanctus, qui Gilberti etiam ac Gilleni nomine in Florentino Usuardi apud Sollerium Auctario hodie designatur, cum S. Ghisleno, ad hunc diem dando, unus idemque, ut mihi equidem apparet, certo est.

Hermannus conversus Aquiriæ in Brabantia Ordinis Cisterciensis hodie Raissii ad Molani Natales Sanctorum Belgii Auctario cum titulo Beati exstat inscriptus; verum eum ad diem quartam Martii, qua a pluribus hagiologis recolitur, inter Prætermisissos jam retulimus, et sane non immerito, cum cultu ecclesiastico gavisus unquam fuisse non invenitur.

C Hierotheum a IV Octobris die, qua is plerisque Græcorum Fastis sacris hodiernoque etiam Martyrologio Romano inscribitur, huc remisimus. Ita faciendum duximus, quia, quid de Sancto illo, seu vero seu, ut nonnullis placet, dumtaxat fictio, statuendum esset, præsertim dependebat a judicio, quod hodie, maturo instituto examine, de Operibus, sub Dionysii Areopagitæ nomine circumferri solitis, esset ferendum. Itaque et ipsamet isthæc Opera, et lucubratiunculas varias, tam pro vindicandis, quam pro abjudicandis Dionysio usdem Operibus elaboratas, sedulo discussi; verum etsi argumenta, quæ pro opinione, dicta Opera Dionysio attribuent, militare compari, enervia prorsus hanc sint, nequiquam tamen, Opera eadem hunc Atheniensem primum antistitem habere auctorem, certum efficiunt: quod cum ita habeat, an Hierotheus, utpote dumtaxat e scriptis illis, a posterioris ævi auctore fortassis confictis Dionysioque perperam adscriptis, a martyrologis primitus acceptis, fictitius totus non sit, dubium esse atque incertum, necesse est, hactenusque proinde Operi nostro intexi inter Sanctos non potest; poterit autem postea in hujus Supplemento, si ea forte interea rationum momenta fuerint reperia, quæ certam omnino atque indubitam reddant opinionem eorum, qui, præfata Ope-

ra a Dionysio Areopagita vere esse elucubrata, D contendunt.

Joannem Jacobum, Fuliensem monachum, Henriquezium ac Chalemotus, Ordinis Cisterciensis hagiologi, hodie commemorant, elogioque sat proluxo exornant; verum illum, quem prior anno 1621, posterior anno 1626 obiisse notat, nec Sanctis, nec Beatis Sedes Apostolica hactenus adscripsit.

Jolenda penitens, sanctimonialis Aquiriensis altera, hodie etiam a Raissio in laudato Auctario cum elogio refertur: titulo tamen Beate ei non adjuncto; et merito quidem, cum cultu ecclesiastico careat.

Julianus et Sylvanus, qui, quemadmodum in hodie edendis S. Savini Levitanici Actis narratur, divina providentia, ut huic, in eremo adversa valetudine laboranti, ministrarent, a Fronimio abbate missi fuerunt, hodie in Martyrologio Gallicano memorantur a Saussayo, poteruntque in Opere nostro inter Sanctos loco opportuno dari, cum constiterit de legitimo eorum cultu, centum amplius annis Urbani VIII decretum, anno 1625 de Sanctorum veneratione emissum, E prægresso.

Larciam martyrem, hujusque filium Visbium confessorem, hodie in Martyrologio Gallicano Saussayus commemorat: ac Larcia quidem, cum prius ipsamet maritum Lisbium, Christi fidem amplectum, violatæ nimirum religionis accusasset, visis deinde, quæ in Dionysii sociorumque martyrum nece patrata fuerint, miraculis, palam sese, si recte notet, Christianam professa, martyrio fuerit affecta; Visbium autem, qui, ut aiunt, conspectum a se parentis sui, Dionysii ac sociorum martyrum agonem litteris mandavit, diu adhuc vitam Christianam exegerit, tandemque ad felix suorum in caelis parentum consortium migravit. Verum præterquam quod hæc omnia ex admodum suspectis, ne dicam fabulosis prorsus, Hilduini Areopagitici aliisve scriptis similibus a Saussayo sint accepta, Larcia et Visbium in nullis certe Fastis sacris antiquis memorantur, nec usquam cultu ecclesiastico vel gaudent, vel unquam fuisse gavisus reperiuntur.

F Limenii, Vercellensis episcopi, hodie in Catalogo generali Sanctorum meminit Ferrarius. Ughellus tom. 4 Italiae sacræ editionis anni 1719, col. 761 Sancti etiam titulo illum condecorat, quod in Episcopis Vercellensibus pag. 107 Ferrerius, Vercellensis et ipse episcopus, ac in Historia chronologica pag. 135 Franciscus Augustinus ab Ecclesia pariter faciunt. Verum ne in Litaniis quidem, quæ ecclesiæ Vercellensis Officii propriis, anno 1581 excusis penesque nos extantibus, subduntur, usquam Limenii mentio fit, nec alibi ecclesiastici, qui ei quapiam in æde sacra deferatur, cultus indicium reperio. Itaque a Limenio operi nostro inter Sanctos intexendo abstinens brevissimum, quo a Ferrerio jam laudato ornatur, elogium huc transcribo. Sic habet: Sanctus Limenius Græcus, episcopus Vercellensis, in S. Eusebii (Vercellensis nempe episcopi) locum suffectus, S. Ambrosii in concilio Aquileiensi anno Domini ccc.lxxxii celebrato comes (adi tom. 2 Concil. col. 978 Labbeum) adfuit.

Loth hodie cum Abrahamo in dinis Græcorum Fastis sacris, Menologio scilicet Sirlletiano et magnis Menæis excusis, conjungitur; in hodierno

- A** erno autem Martyrologio Romano solus Abraham notatur: quod cum ita sit, eosque e Veteri Testamento Sanctos, qui in Martyrologio Romano non sunt, Operi nostro intexere haud solemus, solum etiam Abrahamum hodie damus, lectoremque pro Loth ad sacram Scripturam huiusque interpretes remittimus.
- Lubius martyr in Martyrologio Germanico, Canisii vulgo dicto, hodie signatur. Cum Parisiis a Dionysio ad Christum fuisse conversus asseratur, alius indubie non est, quam Lisbius, a Saussayo, veluti ecclesiae Parisiensis, qui Baptismate a S. Dionysio ablatus fuerit, protomartyr, ad iv Octobris diem relatus. Ac nos quidem tunc in Prætermissis, de illo forte hodie loquendi futurum locum, edicimus; verum, cum ex Hilduini sublestæ admodum (vide infra dandum de S. Dionysio Commentarium) fidei Areopagiticis notæ haud melioris scriptis primitus sit depromptus, nec cultum ecclesiasticum seu nominis sui in Mrll. antiquis descriptione, seu alio quocvis modo unquam obtinuisse comperitur, locum certe inter Sanctos Lisbio seu Lubio in Opere nostro dare non possumus.
- B** Item sanctæ Mameæ, reginæ martyris, matris Alexandri imperatoris, quæ, apud eum Christiani nominis accusata et interfecta, ad martyrii coronam perrexit. Ita hodie in Gynæceo sacro Arturus a Monasterio, in Annotatis, quæ subdit, citans etiam Petrum de Natalibus, qui, Alexandrum imperatorem, cum Mameam seu potius Mameam, matrem suam, Christianam esse, intellexisset, necari illam iussisse, in suo Sanctorum Catalogo, lib. xi, cap. 24 diserte tradit. Verum Mameæ nec pro fide, nec Alexandri imperatoris, filii sui, jussu occubuit, uti palam est ex iis, quæ Tillemontius Historiæ Imperatorum tom. 3, pag. 209 et seq. in medium adducit. Adhæc nullis prorsus Fastis sacris antiquis Mameæ exstat inserta; et sane non immerito: etsi enim Christiana quidem (adi tom. cit. pagg. 158, 159 et 475 eundem Tillemontium) verosimillime existerit, id tamen omnino certum non est.
- Martyrum plurimorum turbam, qui, signis, quæ Dionysii ac sociorum martyrum funera illustrarint, conspectis, ad Christum conversi pro fide illico occubuerint, hodie etiam Saussayus commemorat; verum hæc ejus annuntiatio ex Hilduini sublestæ fidei Areopagiticis est deprompta, abestque, hoc saltem die, ab omnibus prorsus aliis Fastis sacris.
- C** Odonem, e S. Martini Tornacensis primo post hujus instaurationem abbate Cameracensem episcopum, hodie in Natalibus Sanctorum Belgii Molanus atque in Fastis Belgicis ac Burgundicis Miræus referunt. Idem etiam in Menologio Benedictino Bucelinus facit. Ac ex iis quidem, quæ de Antistite isto tradunt, virtute illum ac sanctimonia effulsisse liquet; verum cultu ecclesiastico aut gaudere aut olim fuisse gavisum, nec affirmant, nec ego alibi notatum invenio.
- Osbertum episcopum hodie Dumblani cum Beati titulo in Menologio Scotico Dempsterus annuntiat, eumque in Catalogo generali Sanctorum sequitur Ferrarius. Verum nullus prorsus episcopus, nomine Osbertus, vel in Martyrologio Anglicano, vel a Camerario de Pietate Scotorum, vel denique in nostris seu Hiberniæ seu Scotiæ Sanctorum Catalogis Mss. commemoratur. Ferrarius quidem præter jam
- laudatum Dempsteri Menologium in Annotatis etiam citat Breviarium Scoticum. Verum, cum nec ullus in nostro Ms. Breviarii Aberdonensis apographo Osbertus locum habeat, quod aut quale illud sit, quod laudat, Breviarium Scoticum, ignoramus, certioraque proinde, ut de Osberto agamus, documenta requirimus, etsi interim, illum anno 1231, Rhetorices, Poëses, Philosophiæ, Theologiæ, magisque adhuc sanctitatis laude conspicuum, e vivis excessisse, Dempsterus etiam addat.
- Petrus confessor
Joannes Pennalverius
Nicolanus a Coslicio
Antonius Lopetius
Maria a Velasco
- ex Ordine S. Francisci
- hodie cum præfixo singulis Beati titulo recensentur ab Arturo in Martyrologio Franciscano; verum nec hic cultum illorum probat, nec Hueberus titulum istum ulli eorumdem attribuit in Menologio, ubi ita etiam hoc ipso die memorat
- Joannem Baptistam Anglum, Londini pro fide occisum et
- E** Jacobam Auskircherin, piatissimam et tertio Ordine S. Francisci sororem.
- Robertus Lincolnienis episcopus, Gros-Thead, Latine Capito cognominatus, in Martyrologio Anglicano, e quo et a Ferrario in Catalogo generali Sanctorum recensetur, hodie occurrit. Ac eum quidem in elogio, quod suppeditat, Martyrologii dicti auctor Wilsonus præcipue commendat a vitæ sanctitate simul atque doctrina. Idem etiam ante ipsum in Historia Anglicana ad annum 1253, quo Roberti obitus evenit, jam fecerat seu ipsemet Matthæus Parisius, seu scriptæ ab hoc Historiæ Anglicanæ continuator, uti etiam lib. 2 de Eventibus Angliæ Henricus Knyghton, Leicestrensis canonicus. Verum Robertus, cum quid aliquando in mandatis, quod injustum rationique dissonum existimabat, a summo Pontifice Innocentio IV accepisset, mordacissimam simul ac felle a capite ad calcem plenam scripsisse refertur epistolam, in qua, omni prorsus moderatione abjecta ac modestia, vehementissime, uti monumentum illud apud Parisium prodit, in curiam Romanam atque ipsomet Innocentium fuerit invecus, iis etiam usus loquendi formulis, quæ, quævis etiam forsan, quod hic indagare non lubet, nec Papa ea in re culpa omni vacarit, nec incorruptum fuerint curiæ Romanæ mores, excusari tamen neutiquam queunt. Adhæc in sinistris, quæ adversus Innocentium conceperat, animi sui sensis, uti apud eundem Parisium loco cit. narratur, ad supremum usque spiritum perstitit, eaque etiam tum, cum animam fere jam ageret, est effatus, quæ a veneratione, supremo Christi in terris vicario debita, eique certe a Sanctis deferri ab omni retro ævo solita, penitus abhorrent. In dubium quidem, an et hoc et quod de Roberto, etiam alias in Innocentium IV acerrime invecito, in Parisii Historia, ut supra dictum, narratur, ab ipsomet Parisio, an ab hujus interpolatore, qui et epistolam supra laudatam Roberto affinxerit, sit profectum, revocari forsan non immerito potest, quod Parisii Historiam locis multis, ad invidiam Pontifici Romano constandam aptis, corrupta, a viris orthodoxis simul ac eruditis credatur; verum quidquid sit seu de re ista,

A *seu etiam de miraculis, quibus Robertus et vivus et mortuus effulsisse præterea narratur, canonicos equidem Londoniensis S. Pauli ecclesie, cum Robertum Sanctorum albo adscribi, data anno 1807 ad Clementem V Papam epistola, quam Angliæ sacræ part. 2, pag. 343 et seq. ex autographo Whartonus recitat, postulassent, voti factos esse compotes: haud invenio. Quod cum ita sit, facere non possum, ut Roberto locum inter Sanctos in Opere nostro concedam, maxime cum nec cultus ecclesiasticus publicus ac legitimus ei aliquando uspiam fuisse delatus videatur.*

Sybillæ de Gages, aliis de Gaxis, sacri corporis elevationem hodie Aquiriæ, quod, quemadmodum Operis nostri tom. 3 Junii, pag. 231 e Miræo jam docuimus, sanctimonialium Cisterciensium quarto circiter a Bruxellis milliari monasterium est, Rayssius in suo ad Molani Natales Sanctorum Belgii Auctario consignat. Hunc porro hagiologum Henriquez ac Chalemotus in contextis a sese Ordinis Cisterciensis Beatorum ac Sanctorum Fastis sacris secuti deinde sunt, uti etiam in Menologio Benedictino Bucelinus, in Leodiensis ecclesie Floribus Fisenus, et in sacro, quo sanctas cujuscumque Ordinis mulieres complexus est, Gynæceo Arturus du Monstier seu a Monasterio. Atque hi quidem omnes, non secus ac Rayssius, Beatæ etiam titulo Sybillæ condecorant; adhæc, sacrum ejus corpus sub seculi XVII initium, Namurcensi episcopo, ad cujus diocesim tum Aquiria jam pridem spectabat, approbante, elevatum, atque eodem viva voce, ut Sybilla, tamquam Beata, ab omnibus coleretur, concessum etiam tunc fuisse, vel in elogio, Sybillæ a sese adornato, vel in Annotatis, elogio subjectis, plerique affirmant. Atque ex hac, ni fallar, episcopi Namurcensis confessione, assertaque insuper corporis elevatione publicum ac legitimum Sybillæ cultum Majoris nostri intulerint, eamque idcirco Operi nostro hodie intendendam, ad 1 Julii diem quodammodo promiserint, ita ibidem in Prætermissis, ubi de Elisabetha Wansia, sanctimoniali Aquiriensi altera, supra jam memorata, sub finem scribentes: Poterit . . . Elisabetha (Wansia scilicet) cum Sybilla conjungi ad dictum diem 19 Octobris. Verum anne cultus, qui Sybillæ sub seculi XVII initium e Namurcensis episcopi concessione fuit delatus, legitimus re ipsa exstiterit, maxime est dubium. Ita autumo, quod beatificandi seu beatorum honores cuiquam decernendi potestas nullo amplius modo penes episcopos tum fuisse videatur, uti quisque facile intelliget ex iis, quæ Benedictus XIV de Servorum Dei Beatificatione et Beatorum Canonizatione lib. 1, cap. x et seq. in medium adducit. Adhæc, etsi etiam potestas illa penes episcopos tum adhuc exstitisset, legitimeque adeo, et Sybillam, ut Beatam coli, et corpus ejus elevari, Namurcensis antistes permisisset, modo tamen post Urbani VIII decretum, anno 1625 die XIII Martii emissum, Beatorum honores Sybillæ deferre, eamve venerari ut Beatam haud licet, ni forte ante mox dictum decretum centum amplius annis (alio enim ex capite excipi contra illud pro Sybilla certo haud potest) factum id jam fuerit, quemadmodum ex iis, quæ in Opere cit. lib. 2, cap. xi et 17 Benedictus XIV mox lau-

D *datum affert, luculentissime patescit; anne autem a tempore immemorabili seu illo, quod centum amplius annis præfatum Urbani VIII decretum præcesserit, cultu ecclesiastico publico gavisa fuerit Sybilla, nuspiam aperte edicunt seu hagiologi supra laudati seu scriptores alii, quidquam de illa memoriæ produnt. Hinc Prætermissis accensere Sybillam jam pene statueram; attamen, cum adhuc, nun forsan monumenta, tam antiquo cultui ejus publico probando idonea, in Aquiriensi parthenone inveniri possent, dubius utcumque hærerem, ipsemet eo, ut in rem totam diligentius inquirerem, me contuli. Ac primo quidem cultus publici satis antiqui, qui Sybillæ ante annum 1625 fuerit delatus, nullum omnino seu in templo seu in aliis abbatiæ locis indicium reperi; petii autem, an nulla penitus monumenta litteraria in monasterio de illa exsarent. Abbatisa, Eleonora de Harceng, quæ me juxta ac socios binos, e collegio nostro Bruacellensi mihi adjunctos, humanissime excepit, pari etiam humanitate e parthenonis sui archivo nonnulla protulit, mecumque, ut per otium ea examinare liceret, Antverpiam asportanda dedit. Illa inter principem locum tenent epistolæ duæ, quarum altera Franciscus Buisseret, Namurcensis episcopus, cum Sybillæ corpus in templo Aquiriensi anno 1610, die 28 Junii fuisset inventum, Guilielmo Mieula, decano Gemblacensi, ut in inventionem illam adjunctaque eandem comitata inquireret, anno eodem die 26 Augusti in mandatis dedit, altera hic eorum, quæ facta inquisitione comperit, Namurcensem antistitem prædictum certiore fecit. Hisce porro præter aliam adhuc hujus epistolam, datumque a Gerardo de Villers, medicinæ doctore ac Lovanii professore, testimonium, quæ duo monumenta infra etiam memoranda venient, quæpiam accedit Sybillæ Vita, a Reverendo domino Gerardo Clement, qui monasterii Aquiriensi, cum Sybillæ corpus fuit inventum, director in spiritualibus seu confessarius exstitit, conscripta. Atque hæc quidem seu monumenta seu documenta omnia, si unum postremum, nonnulla ab auctoris ætate remotiora complectens, exceperis, integram in omnibus fidem merentur; verum nihil prorsus suppeditant, quod publicum Sybillæ cultum, qui anno 1625 per unum amplius seculum jam obtinuerit, utcumque evincat. Imo in laudata decani Gemblacensis ad episcopum Namurcensem epistola inter cetera verbis Gallicis, Latine a me redditis, sequentia fere quantum ad substantiam occurrunt. His locus (quo nempe in templo Aquiriensi Sybillæ tumulus ante annum 1610 exstabat) erat obscurus, parumque proinde ex se gratus; in aliqua tamen veneratione atque honore ob Sybillæ tumulum habebatur: imo circum hunc religiosæ aliquot obire pietatis quæpiam exercitia solebant, tum quod bonam de Sybillæ sanctitate opinionem concepissent, tum quod illam intima familiaritate cum S. Lutgarde fuisse conjunctam invicem asserebant; ex his autem Sybillam cultu dumtaxat privato in Aquiriensi parthenone ante annum 1610 fuisse gavisam, indubitatum apparet, Omnibus itaque, seu quæ scriptores, publica jam luce donati, seu quæ jam laudata monumenta Aquiriensia Mss.,*

quæ

A de Sybilla commemorant, sedulo discussis, in Opere nostro illam Sanctis annumerandam, haud reor. Quod cum ita sit, nec plura hoc loco de eadem proferri, est necesse; attamen cum a pluribus, tum in anno, quo Sybillæ corpus de terra fuit eductum, tum in adjunctis aliis, eventum hunc vel comitatis vel secutus erratum esse, e præfatis integræ fidei, quæ de corpore Sybillæ e terra extracto postque etiam elevato potissimum tractant, Aquiriensis parthenonis monumentis Mss. patescat, lubet lectori præcipua, quæ sparsim in hisce asseruntur, compendio hic exhibere, ut ita, isthoc cum aliorum narratione collato, admissi abs hisce errores facile cuique innotescant. Rem ipsam aggredior. In septentrionali templi Aquiriensis parte, quæ reliquis templi ejusdem partibus multo erat depressior, monumentum, duobus circiter pedibus supra terram eminens, olim exstabat. In hoc, ut constans traditio iuxta ac inscriptio, lapidi marmoreo, qui monumenti summitatem obtegebat, incisa, fidem faciebat, sepulta jacebat Sybilla de Gages, Aquiriensis, dum viveret, Sanctimonialis, anno ut dicta inscriptio, licet majorem partem præ vetustate evasa, etiam prodebat, 1250 e terris ad superos translata. Anno porro 1610, tribus amplius seculis a Sybillæ obitu jam elapsis, evenit, ut Ludovica de Blaton, Aquiriensis abbatissa, quo monasterii sui templum redderet ornatus, depressiorem hujus partem, qua, ut jam dictum, Sybillæ tumulus exstabat, ceterarum partium pavimento terra aggesta voluerit æquari. Verum cum id, ni simul alius sub humo Sybillæ sepulchrum deprimeretur, fieri non posset, itaque esset futurum, ut scrutari deinceps num quidquam in hoc e Sybillæ ossibus adhuc superesset, difficilius efficeretur, hac occasione atendum existimavit, ut in id, prout fieri nonnulli, sanctitatis fama, qua Sybilla gaudebat, impulsus, jam dudum desiderarant, sedulo inquireret. Variis itaque, ut rem aggrediantur, operariis dicto anno, xxviii Junii die, collatis antea cum domino Gerardo Clement, monasterii sui confessore, consiliis, obtentoque Alnensis, qui immediatus virginum Aquiriensium in spiritualibus pater est, abbatis assensu injungit; illi autem, marmoreo, qui tumulum ex dictis tegebat, lapide amoto, terraque ad septem vel octo pedes effossa, sarcophagum seu loculum integrum inveniunt. Hoc viso, abbatissa aliique, qui adstant, omnes hærent attoniti, lætitiæque simul et quadam veneratione correpti rem ad episcopum Namurcensem, ut, quod hic in illa præscriberet, executioni deinde mandarent, deferre, ceptoque interea abstinere decernunt. Verum, cum post horam circiter et mediam aqua e fonte, qui in ipsa sepulchri fossa surgebat, tanta in id copia prorumperet, ut uno ad minimum pede supra loculum exsaret, hunc e terra, majori id exigente bono, extrahunt; quod cum factum fuisset, dissoluti præ vetustate loculi asseres in frustra mox concidunt, solo asseri inferiori excepto, cui incubabat dormientis in modum compositum Sybillæ corpus, carne quidem omnino ecutum, ita tamen integrum, ut ossa ossibus adhuc essent conjuncta, ipsumque etiam caput adhæretet collo. Porro ossa suavissimum a se spargebant odorem, uti etiam

ipse, in quo hæc jacebant, asser, singulaque D asserum confractorum frusta. Audi, qui Gerardus de Villers, medicinae doctor, de ossibus nominatim, cum hæc tribus circiter, postquam e terra fuissent extracta, hebdomadis in monasterio Aquiriensi coram vidisset, in testimonio, supra laudato eaque de re tunc dato, loquatur. Quandoquidem, inquit, æquissimum sit, veritatis exhibere testimonium, hinc est, quod ego infrascriptus tester et affirmem, me, xxiii Julii mxc venisse ad abbatiam beatæ Mariæ de Aquiria, Ordinis Cisterciensis, Namurcensis diocesis, ibidemque exhumata reperisse ossa nonnæ Sibillæ de Gages gratum spirantia odorem, ante annos trecentos sexaginta aut circiter (uti mihi affirmatum fuit) ibidem sepultæ, imo et asserem ipsum, qua parte dicta ossa tetigit, quasi immunem a corruptione: hinc est, quod, sive conservationem ipsorum ossium et ipsius asseris post tantum spatium annorum, sive ipsum odorem considerem, pro vero cogar affirmare, totum id iudicio meo esse supra naturam, neque hoc ulla ratione naturaliter fieri posse; in E cujus rei testimonium hæc subitus scripsi et signavi his die, mense ac anno, supra. Ita est, Gerardus de Villers med. doctor ac Lovanii professor. Hactenus ille, qui et duorum digitorum suorum extremitati, dum iis Sybillæ sub mento cervicem tetigisset, suavissimum diu inhæsisse odorem, addere, haud immerito; uti jam sæpius laudata decani Gemblacensis epistola fidem facit, testimonio suo jam recitato potuisset. Hoc porro una cum eorum, quæ in corporis Sybillæ inventionem acciderant, narratione ad Franciscum Buisseret, Namurcensem tunc temporis episcopum, perlato, mox hic Guilielmo Mieulx, Gemblacensi decano, ut in omnia ac singula, quæ eventum illum comitata fuerant, inquireret, ipso anno 1610, die 26 Augusti per epistolam supra memoratam injungit. Atque is quidem anno eodem, die 20 ac 21 Septembris accurate ac sedulo in Aquiriensi parthenone demandata sibi provincia perfunctus fusiori oratione omnia, quæ, diligenti instituto examine compererat compendioque fere jam exhibui, ad Namurcensem episcopum mox perscripsit; hic vero, accepta, qua id ille faciebat, epistola, mox Nivigella, ubi tunc post collatos mense Septembris ordines sacros morabatur, Aquiriam pedes, quo etiam ipsemet in rem diligenter inquireret, sese contulit. Porro cum ibidem ante Sybillæ feretrum de multis præsentibus interrogaret, sermone de suavissimo odore, quem Sybillæ ossa emittere dicebantur, forte incidisset, inde cum veritate diceretur, experiri ipsemet odoratu suo volens, caput versus ossa inclinavit, modicoque post tempore nihil sese percipere odoris, asseruit: cum autem, qui aderat, Nivigellensis prætor, gratissimum sese odorem jamjam naribus haurisse, reposuisset, mox præsul flexis genibus prolificius oravit, eumque tandem ab oratione surrexisset, viva voce, ut Sybilla ab omnibus veluti beata, honoraretur, concessit; rectene, an secus, ex jam supra dictis statues. Ut ut interim habuerit, factæ hujus a Namurcensi antistite concessionis fama mox late dispersa, plurimi undique diversi sexus ac conditionis homines, quorum etiam nonnulli, e Sybillæ loculo

- A *loculo quasi per exhalationem quamdam suavissimum ad nares suas odorem deferri, summa cum admiratione, dicuntur experti, ad Aquiriense templum, ut Sybillam veluti beatam venerentur, concurrunt; ut autem adventantium quotidie devotio etiam augetur, de honoratiori, quo Sybillæ reliquæ reponerentur loco est cogitatum, utque hæc, ne illarum, quæ summæ charitatis juxta ac necessitudinis vinculo (adi apud nos tom. 3 Junii pag. 250 S. Lutgardis, Sanctimonialis Aquiriensis, Vitam) conjunctæ in hoc mundo viverant, ossa diutius sejuncta manerent, prope S. Lutgardis reliquias collocarentur, est visum. Atque hæc quidem, ibi loco decenter jam parato, ab Henrico de Velpen, Alnensi abbate supra laudato, post Missam de sanctissima Trinitate solemniter celebratam, anno 1610, die nona Octobris, magna hominum multitudine adstante, depositæ fuerunt, compositis etiam a domino Gerardo Clement, parthenonis Aquiriensis confessore, sequentibus hisce in rei gestæ memoriam versiculis:*
- B *Lux nona Octobris toto radiabat in orbe,
Abbas Henricus sapientis quando Sibillæ
Ossa pio populi applausu pompaque locavit;*
- Fons autem eo loco, quo diutissime conditum jacuerat Sybillæ corpus, exortus, tempore eodem reclusus, puteique in modum, quo pietati eorum, qui sanitatis recuperandæ spe aquas ex eo hausturi Aquiriam quotidie adveniunt, satisfieri posset facilius, efformatus fuit mutatione tamen in loco haud diu admodum post facta, uti apparet ex iis, quæ Raissius in suo ad Molani Natales Sanctorum Belgii Auctario, anno 1626 Duaci excuso, fol. 209 verso de Sybillæ fonte simul et sepulcro memoræ prodit. Porro jam relatam ossium Sybillæ elevationem seu eorundem loco honoratiori per abbatem Alnensem depositionem, annuente Namurcensi episcopo, factam esse, apparet ex altera, cujus supra etiam memini, episcopi Namurcensis epistola, anno 1611, die xv Martii ad dominum Gerardum Clement, monasterii Aquiriensis confessorem, data; ait enim in hac ille, haud raro sese cum vicariis suis aliisque eruditis theologis examinasse, num amplius aliquid, quam præstitisset, in sacrarum Sybillæ reliquiarum honorem posset efficere: id autem, quod in harum honorem tum præstiterat, aliud esse nihil videtur, quam facta, ut honoratiori loco deponerentur, facultas. Nec hoc tantum, quod jam dixi, ex illa Namurcensis episcopi epistola habemus, verum etiam nondum tunc ullum miraculum, quod indubie pro tali esset reputandum, ad Sybillæ invocationem patratum fuisse. Is enim antistes in eadem epistola etiam ait, sese absque Sedis Apostolicæ assensu nihil amplius in sacrarum Sybillæ reliquiarum honorem posse præstare, nisi prius ad ejus invocationem indubitatum acciderit miraculum, quod, cum rite examinatum fuerit atque discussum, pro tali etiam habeatur ac declaretur. Et vero variarum a morbis sanationum, quæ, Sybillæ, corpore primum invento atque e terra extracto, ad illius invocationem evenisse in supra laudata Guilielmi Mieuix, decani Gemblacensis, ad episcopum Namurcensem epistola*

narrantur, nulla omnino est, quæ conditiones omnes habeat, quas, ut inter veri nominis miracula recenseri certo posset, Benedictus XIV de servorum Dei Beatificatione et Beatorum Canonizatione lib. 4, part. 1, cap. 8, num. 2 requirit. Verum, quidquid sit de miraculis, seu quæ ad Sybillæ invocationem fuisse patrata, seu quæ etiam iis, qui fontis, eo ipso loco, quo trecentis amplius annis sepulta illa jacuerat, exorti, lymphas hauserant, obvenisse in aliis etiam Parthenonis Aquiriensis monumentis Mss., penes me ad tempus exstantibus, narrantur, ea equidem sanctitatis fama anno 1660 adhuc esse perrexit Sybilla, ut pro ecclesia de Gages, in quo comitatus Hannoniensis pago nata creditur atque educata, reliquæ ejus ardentissime fuerint postulata. Ita e tribus necum etiam in Aquiriensi parthenone communicatis epistolis, quarum una ad hujus tum abbatissam fuit conscripta, intelligo, uti etiam ab hac, quo postulantium votis faceret satis, alterum Sybillæ brachium fuisse donatum; verum anne, ut id publicæ populi venerationi posset exponi, Cameracensis archiepiscopus, in cujus diocesi sita est præfata ecclesia, permittere tunc temporis voluerit, nusquam notatum invenio, nec operosius examinandum putavi. Præfatum interim brachium si id forsitan, memorato archiepiscopo (quod tamen, cum hic Urbani VIII decretum, supra plus semel memoratum, verosimillime haberit perspectum, haud facile crediderim) facultatem largiente, venerationi publicæ in dicta ecclesia reipsa umquam fuerit expositum, honore illo ibidem hodieque affici, haud reor. Ea sedet sententia, quod Sybillæ reliquæ ne quidem in Aquiriensi ecclesia, in qua tamen olim, ut jam docui, e loco humiliori ad sublimiorem magna solemnitate translatae fuerunt publice modo populo honorandæ soleant exponi, uti ex ipsamet supra plus semel laudata Aquiriensi abbatissa aliisque, cum Aquiriæ existerem, audivi. Ac rectissime quidem ab honore illo Sybillæ in dicta ecclesia deferendo hodie abstinetur; verum cum Dei servis talibus, qualis ea ante dictis est Sybilla, erigere in ecclesiis vel aras vel statuas, Urbani VIII decreto, supra sæpissime laudato vetitum etiam sit, ei ibidem recentiori memoria et statuum in altari principe erectam, et aram, sub qua pleraque ejusdem ossa in capsula modo exstant recondita, ad sinistrum templi latus exstructam esse, summa cum admiratione spectavi. Et vero ipsamet abbatissa, prout mihi declarare fuit dignata, factum improbat, nec id cuiquam, qui, quod jam toties laudavi, Urbani VIII decretum servatum volet, facile probandum existimo. Hæc interim præcipue e monumentis Mss., necum Aquiriæ communicatis, iisque etiam, quæ ibidem ipsemet vidi, disseruisse de Sybilla jam contentus curiosum lectorem, qui alia forsitan de illa adhuc scire avel, ad duos Operis nostri tomos, tertium scilicet Junii, ubi de S. Ludgarde, et primum Julii pag. 6, ubi de Elisabetha de Wans, remitto.

Corbeia monasterio depositio Theodori abbatistis hodie occurrit in Martyrologii, quod S. Hieronymi nomine circumfertur, Corbeiensis majori apud Florentinum Apographo. Hinc verosimillime similive e fonte profu-

- A *xit Theodori, nudo ejus nomini adjuncto dumtaxat Sancti titulo, annuntiatio, hodie pariter in Usuardo Greveni, Germanicoque Canisii vulgo dicto Martyrologio signata. Verum, cum in Corbeix seu Noxæ seu Antiquæ abbatum catalogis nullus omnino, qui Theodorus fuerit vocatus, inveniatur, quis Theodorus ille, qui modo abbatis, modo Sancti dumtaxat titulo in Fastis sacris mox laudatis annuntiatur? In Martyrologio Corbeiensis breviori, quod inter contracta Hieronymiana apographa Sollerius noster loco quinto edidit, ad hunc diem legitur: Corbeix monasterio, depositio Theodefridi abbatis. Adhæc in ipso etiam Corbeiensis majori, prout id in editionis Parisiensis anni 1723 Spicilegio Acheriano, tom. 2 pag. 1 et seqq. exstat, Hieronymiano apographo eadem prorsus, si modicum dumtaxat, quo Theofridi pro Theodefridi exaratur, discrimen excipias, annuntiatio hodie comparet; ut certe in Corbeiensis majori Hieronymiano apud Florentinum apographo, binisque aliis Fastis sacris supra laudatis Theodori pro Theodefridi seu Theofridi perperam ponatur. Ut id evidentius patescat, addo adhuc, quæ huc facientia Mabillonius Seculo 2 Benedictino in Theodefridi hic memorati elogio historico, a pag. 1039 usque ad pag. 1042 excurrente, num. 7 suppedilat. Sic itaque ibidem habet: In veterimo Corbeiensis Martyrologio ab annis amplius septingentis exarato, quod libro Pastoralis Gregorii M. præmittitur, sic Theodefridus laudatur VII Idus Octob. Corbeia monasterio depositio Theodefridi abbatis. Porro is scriptor Theofridum seu Theodefridum, quem Corbeiensis in diocesi Ambianensi asceterio, seculo VII a S. Bathilde Francorum regina filioque ejus Chlothario exstructo, primum præfuisse abbatem, episcopumque, et quidem Ambianensem, postea esse factum, in dicto elogio docet, Beati etiam titulo ibidem insignit; verum etiamsi id faciat, Sanctorumque præterea Indici, quem præfato secundo Benedictino seculo præmittit, Theodefridum inscribat, proxime tamen post datam a sese, quam jam recitavi, et veterimo Corbeiensis Martyrologio Theodefridi annuntiationem ingenue fatetur, nullam hujus in ecclesiasticis monasterii Corbeiensis Officiis memoriam factam unquam fuisse. Atque hac quidem in re Mabillonio assentiendum, apparet, imo vero præterea credendum, nullo etiam alio cultus ecclesiastici genere Theodefridum seu Corbeix seu alibi fuisse unquam affectum. Ea sedet sententia, tum quod nullum usquam qualiscumque etiam cultus ei delati indicium invenire hactenus licuerit, tum quod ne ipsi quidem Benedictini hagiologi, Dorgainus, Wionus, Menardus, Bucelinus, in sacris, quos ad Ordinis sui Sanctos universos celebrandos concinnarunt, Fastis Theodefridum usquam commemorent, hicque nihilominus, ut Mabillonius loco supra cit. ac Wionus lib. 2 de Ligno Vitæ cap. 37 aliique ut plurimum affirmant, e sacro S. Benedicti Ordine exstiterit. Accedit, Theofridum a Castellano, diligentissime, quæ ad Sanctorum cultum spectant, scrutato, Venerabilis dumtaxat titulo in Martyrologio universali condecorari. Etsi itaque Theofridus seu Theofredus et a Mabillonio Beati, et in binis Fastis sacris supra citatis Sancti titulo afficiatur, expresseque*
- etiam Sanctis a Saussayo ad xxvi Januarii D diem, quod illo hic in Mrl. suo Gallicano etiam agit, accenseatur, facere tamen non possumus, ut primo illi Corbeiensis abbati locum inter Sanctos in Opere nostro concedamus.*
- S. Victorina seu Victoria martyr, cujus sacra lipsana in collegio nostro Mechluniensi, e cryptis Romanis eo delata, exstant, in Gymæco sacro Arturi a Monasterio hodie signatur; verum Sanctos Sanctasque hujusmodi breviter dumtaxat inter Prætermissos in Opere nostro commemorare ut plurimum solemus.
- S. Gereon cum aliis compluribus martyribus anonymis in Gellonensi apud Acherium Martyrologio, alioque, quod Notkerum habet auctorem, Colonia Agrippinæ hodie commemoratur. In tribus diversis apud Sollerium Hieronymianis apographis, Richenoviensis videlicet, Augustano ac Labbeano, idem etiam fit. In aliis quidem plerisque Hieronymianis item apographis, quæ apud Sollerium, Florentinum atque Acherium exstant, soli martyres anonymi, Gereonis nomine omissa, signantur; verum dubitandum non est, quin tam in his, quam in illis sermo sit de eodem S. Gereone sociisque ejus martyribus anonymis, de quibus cum Usuardo aliisque martyrologis non paucis agendum apud nos est ad diem, quo Mrl. Romano exstant inserti, x Octobris.
- S. Ludovicus Bertrandus hodie quidem in Mrl. Rom. signatur; attamen, ne hic tomus in nimiam molem excreseat, de Sancto illo dumtaxat agemus ad diem, quo in aliis Fastis sacris memoratur, colique, annuente Sede Apostolica, potest, x Octobris.
- SS. Eusebi, Eradi, Dionysii, Septimæ, Secundæ et Salsæ memoriam hodie in Africa consignat Martyrologium Epternacense, iisque insuper incerti loci Martyres novemdecim, Caitum videlicet, Quintisum, Septimum, Venustum, Beatum, Secundum, Donatum, Serenam, Crescentium, Taracum, Andronicum, Nicetam, Vitalem, Firminam, Eraclum, Cassium, Eusebium, Florentium et Joandum quorum 15 priores alibi, alibique itidem 4 posteriores pro fide occubuerunt, adjungit; sed Martyres isti dandi sunt ad diem, quo in aliis Hieronymianis codicibus aut partim aut omnes recensentur, x Octobris;
- Taracum tamen et Andronicum, hodie etiam, sed cum adjuncto Probo, in Lucensi ac Corbeiensis apud Florentinum Hieronymianis apographis incertis loci, excipias; qui, quod cum Tharaco et Andronico, ad diem xi Octobris in Mrl. Rom. una itidem cum adjuncto Probo signatis, indubie iidem sint, dari debent ad dictum diem, xi Octobris.
- S. Nicasius ep. et M. notatur in Usuardino apud Sollerium Matriculæ Cartusie Ultrajectinæ Auctario, eique præter soctum, cujus nomen perperam exaratum videtur, socius alter Quirinus adjungitur; hinc autem liquet, designari Nicasium, Mrl. Rom. cum S. Quirino inscriptum ad diem, quo proinde ambobus hæc Sanctis in Opere nostro locus erit, xi Octobris.
- Colmanni Martyris venerabilium ossium translatio in Austria hodie signatur a Dempstero in Menologio Scotico; nos de Sancto isto cum Mrl. Romano agemus die, xiii Octobris.
- S. Hedwig in suo Diario Historico hodie consignat Joannes Schmidius hæreticus; verum sancta illa Poloniae dux Martyrologio Romano exstat

A *exstat inscripta ad diem* xv Octobris.

SS. Martyrum Maurorum cum aliis cccxxx depositio Colonie Agrippinae hodie in Epternacensi, quod S. Gereonem sociosque Martyres pridie ibidem commemoravit, Hieronymiano apographo signatur; verum de sanctis illis Martyribus agemus ad diem, quo in pluribus aliis Hieronymianis Codicibus, Beda, Adone, Usuardo atque ipso Martyrologio Romano hodierno reperiuntur, xv Octobris.

Ad fanum S. Andreae Turgoti episcopi consecratio hodie legitur in Dempsteri Menologio; verum, si Turgotus in Opere nostro locum sibi fortassis Sanctos inter exigit, dari poterit ad diem, quo ipse in eodem Menologio celebratur, xxiii Octobris.

S. Aidanus (quem Vita S. Cormaci facere videtur Colmani filium) colitur ix Octobris in ecclesia de Cluain-Eocuille in regione Corann, et in ecclesia de Seanbbotha in regione Kiselach. Ita in Appendice, Vitæ S. Colmani, Duacensis in Hibernia episcopi, subjecta, ad tertiam Februarii diem pag. 248 Colganus. In Vita S. Cormaci seu Corbmaci, quam laudat, quamque pag. 751 et quatuor seqq. exhibet, Aidanum monasterio cuidam, Lageniæ seu Luginiæ, provincie Hibernicæ, adjecto, præfuisse, cap. 16 indicatur; quod cum ita sit, nec ullus, nomine Aidanus, qui ibidem monasterii cuiuspiam seu præfectus seu abbas existit, in Sanctorum Hibernorum Catalogis tum excusis, tum Mss., penes nos magno numero exstantibus, occurrat, distinctiorem ac certiore tam de Aidano, quam de cultu, lo-

B *quod si autem hanc nacti temporis lapsu forsitan fuerimus, agi de illo poterit vel in Operis Supplemento, vel ad diem, ad quem majores nostri a die tertia Februarii Colmanum jam remiserunt,* xxvii Octobris.

S. Victor episcopus Virodunensis hodie a Ferrario in Catalogo generali, et a Saussayo in Supplemento ad Martyrologium Gallicanum memoratur. Sub Clodoveo I, Francorum rege, claruisse illum, ambo inuunt; quod cum ita sit, tuncque temporis S. Vitonus, qui Vidonus etiam ac Victo appellatus reperitur, Virodunensem ecclesiam moderatus sit, hunc abs illis designari autumo, maxime cum in episcoporum Virodunensium Catalogis nullus omnino, nomine Victor, qui ecclesie Virodunensi aliquando præfuerit, occurrat facileque e nomine Victoris natum esse per corruptionem nomen Victoris queat. Res prorsus indubitata apparet; verum nos cum Castellano aliisque de S. Victore seu potius Vitono, Virodunensi episcopo, agemus ad diem, quo etiam in ecclesia Virodunensi, uti hujus penes nos exstant Breviarium fidem facit, quotannis colitur, ix Novembris.

S. Lucii regis et confessoris Curie in Rhethia translatio a Ferrario in Catalogo generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, hodie notatur, ejusdemque Sancti mentio etiam fit a Galesinio; verum de sancto illo rege cum Martyrologio Romano agemus ad diem, quo in hoc natalis illius signatur, iii Decembris.

E

DE S. ABRAHAM PATRIARCHA

IN PALÆSTINA

COMMENTARIUS HISTORICO-CRITICUS

J.G.

§ I. Rei tractandæ dignitas et methodus: Sancti pater consanguineique status controversiæ de ejus anno natali: hic anno patris ejus centesimo trigesimo innectendus esse ostenditur.

Exponitur
rei tractan-
de dignitas
et methodus.

Quam non mediocri, quam non otiosa res sit, sanctissimi Patriarchæ gesta ex verbis Moysis ceterisque sacris fontibus eruere ac per ordinem illustrare, satis superque intelligi datur ex magno illo Mediolanensium antistite Ambrosio, qui, tametsi moralem dumtaxat simplicemque Tractatum de illius gestis, uti lib. I De Abraham cap. I fere loquitur, in lucem edere constituisset, hoc tamen institutum suum non mediocre negotium appellare non dubitavit, imo contra tanti momenti esse asseruit, ut non perfunctorium minime otiosum deberet videri, si scrupulosius quoque versaret ejusdem Patriarchæ vestigia. Cujus quidem rei triplicem hanc S. Ambrosio probatam lego fuisse causam, nempe quod Abrahamum Dominus Deus locupleti benedictionis suæ dote donaverit, ut ejus gratia Octobris Tomus IV.

provocaret ceteros, institutio corrigeret; quod Moyses quoque eum nobis imitandum descripserit, ut corda hominum, in vitium labentia, hujus Viri contuitu, vel e quodam terreno busto resuscitaret; ac denique, quod talis tantusque vir fuerit Abraham, ut eum rotis suis Philosophia æquare non potuerit, minusque etiam sit, quod illa finxit, quam quod ipse gessit. Faciunt enimvero recensitæ ex Ambrosii Opere rationes, ut multo minus præposterum minusque a re alienum videri possit, si et nos in hocce Commentario critico-historico operosius subinde de nonnullis tanti viri gestis ipsisque etiam ejus natalibus disseramus, quo sic vel evidentius illustretur veritas, vel impactæ Viro sancto calumnie magis magisque coërceantur, imo et subvertantur radicitus. Quod vero ad ea attinet Abrahami gesta, de quibus 76 aut